

**Disputatio anatomica, de pancreate, eiusque usu vero noviter detecto,
eoque neotericorum experimentis suffulto / [Caspar Christian Schetla].**

Contributors

Schetla, Caspar Christian.
Dorsten, J. D.
Philipps-Universität Marburg.

Publication/Creation

Marburg : S. Schadewitz, 1675.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/z3rv6nsv>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Jesu feliciter assistente!
DISPUTATIO ANATOMICA,
DE
PANCREATE,

Ejusque
Usu vero noviter detecto, eoque
Neotericorum experimentis
suffulto.


Quam
PRÆSIDE
JOHANNES DANIELE
DORSTENIO,

Medicinæ Doctore, ejusdemque Professore
Extraordinario, Fautore & Præceptore
perpetim colendo,

Publicæ ac benevolæ Symmistarum excussioni
subjiciet,


CASPARVS CHRISTIANVS SCHETLA,
WETZFLARIENSIS.

Ad diem 9. Martii in Auditorio Medicorum
horis consuetis.



MARBURGI CATTORUM,

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.
Anno M,DC,LXXV.



NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
CONSULTISSIMIS AC SPECTA-
TISSIMIS,

DNN. CONSULIBUS,
SYNDICIS, SCABINIS AC
SENATORIBUS LIBERÆ
IMPERIALIS REIPUBLICÆ
WEIZELARIENSIS,

DOMINIS PATRONIS AC FAVORIBVS SVIS

Primitias has Academicas

in


*Debita observantia tesseram promptiq; ob-
sequii memoriam, cum devoto omnium
rerum prosperrimarum voto, mente
manuq; devotissima offert, consecrat ac
dedicat*

CASPAR, CHRISTIAN, SCHETLA.



*N*auta vastissimo ratem pelago cre-
diturus ventorum cum immanissimis fluctibus
inter fyrtes & infames scopulos certantium,
quemadmodum fit ludibrium decollatâ recu-
perandi periculum spe nisi pyxide sit instructus nau-
tica: Ita quoque immensum Medicina ocea-
num trajecturus scientiâ Anatomicâ si sit de-
stitutus, vane praxeos fit ludibrium: Nemo
enim tum sanitatis, tum plurimorum morborum accuratam notitiam
acquirit unquam, nisi ex Anatome, hinc quod oculus in homine, id
Anatomia in cognoscendis morbis præstare recte creditur. Sicque non
immerito in Medicum Anatomes ignarum, Sapientis illius requisito
tum cadit: OCVLO INDIGET. Itaque hujus quicunque non
perspecta bene explorataq; habet omnia affectus corporis nunquam tol-
let, laterens lavabit, omnia plena erunt tenebrarum. Non autem
coeli ex penetralibus Anatome hæc cum animis cecidit, sed nata in ter-
ris, & cum progressu temporis paulatim diligentia, studio ac labore con-
flata; Seculi est felicitas, quod insolita inveniuntur, nostra quod in-
quirendi non fatigemur studio. Cum sole cottidiè nova nascuntur, sed
omnia lymphis nostris innituntur, quarum fœcunda scaturigine irriga-
ti curiosi plus persciant, quam egerunt veteres; multum quidem ege-
runt hi, sed tantum abest peregerint omnia, ut ignorarint potius infini-
ta, cum maxima pars illorum quæ scribere, minima sit illorum, quæ se-
quentium temporum nos docuit industria. Unicum exemplum de pan-
creatico succo probationis loco, cum per partes singula tradere tædiosum,
imò impossibile sit, sufficiat. Quid enim eo unquam aut natura consul-
tus aut utilius ad cognitionem atque curationem plurimorum morbo-
rum in lucem prodit? ejus tamen usus genuinus hucusque ferè latuit,
hætenus enim informe pancreas appellatum fuit corpus laxum cæno-
sumque carnis frustulum, quasi p.n. esset concretum, receptaculum cœni

in abdomine restagnantis, complexus lactearum & similiter habitum, non tam partis nomine dignatum quam pulvinaris ad instar saltem ventriculo substrati. Ne igitur & ego olim adversâ utar fortunâ, Anatomicis hætenus, quantum potui, invigilavi, utque ingenii mei vires periclitarer, pancreatis ejusq; succi verum ac genuinum Medicor; cognitu necessarium usum, rudiori penicillo tradere proposui; Divinam Clementiam humillimis exorans precibus, ut mentem atque conatus hosce meos, gratiâ Spiritus sui Sancti dirigere velit, ut cedant in nominis sui gloriam, multorum agrotantium salutem, atque proprium meum emolumentum, per & propter filium suum Redemptorem nostrum Amen.



C. A. P. I.

Definitionem exhibens nominalem.

Galenus Sacrae nostræ Medicinæ antistes l. i. ^{μεθόδῳ διατριβικῆς c. 5.} materiam aliquam tractaturis consulit, in omnibus de quibus quæritur ad rationem adsumant nomen; Consilio huic auscultantes, nonnulla circa nomen in limine notabimus.

Nominum autem cura in tribus potissimum consistit, ἐτυμολογία nominum derivatione, ὁμωνυμία nominum æquivocatione, & denique σωνωνυμία nominum æquipollentia.

Ἐτυμολογίαν hujus nominis quod spectat, πάννης latinæ interpretationis vocabulum non agnoscit, græcum enim est, & quidem compositum ex πᾶν omne & κρέας caro, ac si diceres corpus quantum est, totum carnosum. Appellatio autem hæc propriè ipsi non competit, cum potius totum glandulosum sit,

sit, unde etiam *Picol.* commodius *πάνδηρον* vocatur, nervos tamen, venas, arterias ac membranas cum *Blasio* non excludimus.

ὀμαρυρία si consideramus, diversimodè usurpari videmus, sic in liberali significato ab *Asellio* sumitur pro media & maxima mesenterii glandula. In liberaliori à *Columbo* pro glandulis abdominis omnibus. Strictè verò & usitatè magis significat glandulosum tantum laxum & informe illud abdominis corpus intestino duodeno venulis & fibrulis variis firmiter adhærens.

Συρανυρία vocis in eo consistit, quod quibusdam vocatur etiam *καλλιπρεπς* ac si diceres carnem pulchrā, venustam; Item lactes ob candidum quem plerumque habet colorem. Aliis affusio & coenosa pinguedo, quod in pinguiore forsitan corpore tota quasi pinguedo videatur.

C A P. II.

Definitionem realem continens.

PErillustratā definitione *nominali*, jure suo succedit *realis*, anchora veritatis omnium firmissima, sicuti enim navis stabilitur, jactis anchoris, contra procellas, ita definitionibus in tranquillo scientiæ portu, contra ancipites opinionum fluctus, firmamur. Nobile autem hoc viscus ita describimus.

Pancreas est pars organica infimi ventris, maximâ sui parte in sinistro hypochondrio atque circa primam lumborum vertebram situm, peritonæi membranæ, quâ investitur firmiter annexum, unius manus ut plurimum longum, ductum ad intestinum duodenum locans, ut humor laudabilis, subacidus ex sanguine & spiritibus in eo elaboratus ad effervescentiam seu fermentationem novam aciditate sua, & bilis sale volatili abundantis concursu in intestinis instituendam, illuc transmitti possit.

Generis loco in definitione pars ponitur, nec immerito, competit enim pancreati definitio partis, five ex *Galeno Meth. med. l. i. c. 5.* partem definias, quod sit totum complens atque integrans; five ex *Fernelio*, quod sit corpus toti cohærens, communique vitâ conjunctum, & ad functionem vel usum comparatum.

Organicæ constitutionis dicitur non similis, cum ex multis diversæ speciei similaribus conflatum, ejusque natura in eo sita sit, ut peculiarem aliquam actionem (non communem, qualis nutritio est, quæ omnibus partibus competit) edat atque ad eandem certo modo conformatum sit.

Differentia ex reliquis in definitione positis claret, de quibus nunc in sequentibus.

*Pancreatis situm, connexionem, magnitudinem
ac substantiam explicans.*

Dum ad rem ipsā nos conferimus, primò omnium ad situm visceris hujus oculos conjicimus. Ipsā autem autopsiā edocti, collocatum pancreas dicimus in sinistro magis hypochondrio, circa primam lumborum vertebra, transversim sub ventriculi parte posteriore, intestino duodeno non solum firmiter adhærens, verum ductu suo illud perterebrans, qui ductus *Wirsungianus* à *Wirsungo*, qui primus ejus, accuratius viscus hoc inspiciens, inventor extitit laudabilis; verum omento, mesenterio aliisque partibus annexum quoque asserimus, uti infrà ex varia situs descriptione patebit.

In canibus eundem sitū ferè observamus, quamvis *Fallopins* & *Laurenbergius* talem in brutis non agnoscant, cum prona incedant, ideò supra ventriculum jacere autumant. Nobiscum tamen facit

Bartholinus in Anat. sua l. I. c. 13. p. m. 113. Situs ejus est, inquit, sub posteriore parte ventriculi, hujusque fundo, duodeno & vena portæ, usque ad regiones hepatis & lienis, cui per membranas alligatur.

Similiter *Blasius Anat. contr. l. 2. c. 11. p. 213.* Situm est, inquit Pancreas sub postica inferioreque parte ventriculi inter hepar & lienem transversè, cum duo-

duodenò poro bilario, ramis splenicis perreptantibus, omento mesenterioque connexum.

Higlmorus etiam nobiscum sentire videtur *disquisit. anatom. l. I. p. 2. p. 42.* dum inquit: Situm ad primam lumborum vertebram, posteriori ventriculi parti, ejusque fundo duodeno, venæ portæ, renibus & ad hepatis usque ac lienis sedes diffusum; Ita quoque *Bauhinus*.

Nec adversarius est *Laurenbergius Anat. corp. hum. Exercit. 5. §. 26. p. m. 186.* scribens: Sedes pancreatis est circa primam lumborum vertebram, substernitur posteriori ventriculi parti & imprimis fundo, aliisque partibus vicinis. Nec

Regnerus de Graef Exercit. anat. de succi pancreatici natura & usu, de situ tali, diversam opinionem fovet, quando ita scribit: Situm est maximà sui parte pancreas in hypochondrio sinistro, atque circa primam lumborum vertebram peritonæi membranæ, quâ investitur, firmiter annectitur. Neque

Riolanus à nostra descriptione discedit, dicens: Substernitur ventriculo instar mollis pulvinaris, & ab hepate usque ad lienem porrigitur.

Quantitatem si contemplamur, pancreas ad viscera reliqua proportionatum & modicum est.

Quoad *magnitudinem* plurimis eorum cedit, si tamen cum aliis in homine glandulis conferatur,
pluri-

plurimum reliquas omnes superat ; nec tamen in magnitudine decus hospitatur , sed & ab exiguæ molis rebus magnarum collectio virium est.

Veslingius magnitudinem pancreatis variare inquit, ac in obesis grandius esse , atque iis, qui integro nutritionis officio mortem oppetiere.

Riolanus in hepatis molem exardescente liene observavit , unde vicarium lienis viscus appellat. Verum præternaturali modo hoc factum fuisse credimus.

Longitudinis & latitudinis pro diversorum valetudinis respectu , non una observatur dimensio. Ut plurimum tamen pancreas unius manus longitudinem habere dicimus, sic ut extendatur à jecoris parte concava sinistrorsum usque ad lienem, si naturalem modò servet conformationem , hic rejicimus opinionem *Highmori* & aliorum , qui quatuor digitos longum tantum dicunt.

Latitudinem habet trium circiter aut quatuor digitorum transversorum.

Crassitiem denique agnoscit, quanta est circiter pollicis; *Piccolh. in prælection.* crassitiem trium aut quatuor digitorum transversorum ipsi tribuit, qualem communiter non credimus.

Pondus; *Wartonus* uncias quinque in homine, in equo undecim habere inquit.

Quoad *substantiam* denique viscus hoc constitutionis, ut supra dictum, est *organica*, hinc variis constat ex partibus, tunicâ tenui pancreas vestitur; cùm autem ex variis & minoribus glandulis sit conglomeratum, contra *Blasium in Vesling. p. m. 55. §. Pars abdominis glandulosa*. Singula glandula suâ tegitur tunicâ, ita ut levi artificio glandulosum hoc corpus à se invicem separari ac distingui possit, & non nisi singularum ejus glandularum conglomeratarum pars interior remaneat, una cum vasorum extremitatibus, quibus viscus hoc maximè abundat, glandulæ autem hæ conglomeratæ cum superfici ei suæ aliqua inæqualitate conglutinatæ exsurgunt, quatenus non solum viscus hoc, verum etiam salivales glandulæ & thymus.

Hinc distinguuntur conglomeratæ à conglobatis: Conglobatæ enim æqualem habent superficiem & ex una quasi sibi continuata substantia conflatae sunt & conglobatæ, quales in mesenterio aliisque locis conspiciuntur, vasisque lymphaticis donantur, ac liquorem suum ad communem ductum thoracicum sive volvulum ejus superiorem propellunt, sive in se præparatum sive aliunde acceptum.

Conglomeratæ verò non item, sed liquorem suum in peculiares deponunt cavitates; salivales in

in oris cavitatem, pancreaticæ in tenue intestinum.

Differunt quoque hæ glandulæ ratione substantiæ, sæpissime enim in glandularum, quas conglomeratas Sylvius vocat, medio, cavitas cernitur, non item in glandularum isto genere, quas conglomeratas vocat, cujus rei quoque testimonium præbet Nicolaus Stenon in observ. anatom.

Parenchyma pancreatis totum glandulosum, cum Galeno, Veslingio, Bartholino aliisque constanter asserimus, quamvis Riolanus non glandulosum sed medium quid inter glandulosum & carnosum, sc. spongiosum esse velit.

Venosis constat partibus, hinc cum corde communicat per arteriarum coeliacarum ramum sinistrum, à quo reliquarum juxta Sylvium, partium more sanguinem perfectum accipit.

Cum hepate communicat per venæ portæ ramum insignem, atque ad ipsum amandat à sui nutritione vel succi sui generatione superfluum, ac ipsi non necessarium.

Cum intestino duodeno communicat per ductum proprium in universum pancreas per mediam ejus substantiam versus lienem divisis ramulis tendentem & quatuor circiter digitis transversis sub pyloro in hominibus cum ductu bilario con-

currentem (non item in canibus) & in tenuis intestini cavitatem apertum.

Nervosis constat partibus inde planum est communicare cum cerebro per ramum sc. dextrum internum nervi vagi, plexum nervosum juxta mesenterii originem, constituentis, excipiendo hac viâ spiritus animales.

C A P. IV.

Usus pancreatis verum eligens.

Glandularum fermè omnium usus olim ignobilis credebatur, suscipiendis nimirum excrementis destinatus, verum nunc temporis earum usus longè alius, luditur non jam hæc, sed planè alia inter Apollineos mystas scena, dum glandularum omnium nobilior erutus è lateribus usus. Glandulæ enim omnes, altâ nunc sanguini pace dictæ, vel lymphæ vel peculiari liquori conficiendis, operam suam locant.

Vitio tamen veteribus vertendum minimè est, quòd ulteriorem pancreatis usum non tradiderint, nondum enim veram glandularum notitiam habuere.

Sic *Galenus de usu part. l. 5. c. 1.* usum tantum ferè assignat pancreatis, ut vasa in ipso distribuenda ac discindenda munirentur. *Vesalius, Spigelinus*, aliiq; plures idem ferè sentiunt.

Laurentius ac *Columbus* existimant ventriculo instar substerniculi & molliusculi pulvinaris subijci, quem usum *Laurenbergius anat. corpor. humani p. m. 189.* duobus reprimat argumentis ; 1. quia nunquam potest, quomodocunque moveas corpus ad spinam tanta fieri ventriculi collisio, etiam remoto pancreate, ut is ulla ratione lædatur, aut habeatur duriter. 2. quia brutis, quæ prona ambulant, frustra esset concessum pancreas, quibus in inclinato incessu ventriculus nunquam in vertebra impingi potest.

Credibile itaq; potius censemus, easdem ob causas & eundem finem concessum esse hoc membrum homini, ob quem animantibus aliis, quæ natura prona & ventri obedientia finxit.

A vero deflectunt credentes, usum pancreatis esse, ne quid incoctum ex stomacho per pylorū effluat, illum occludere, quorum meminit *Vesalius l. 5. c. 4.*

Varolius officium tale ipsi affingit, chylum colligere, quemadmodum circa radices vasorum umbilicalium secundinæ faciunt ; Cui accedit *Highmorus disquisit. anat. p. 43. & 44.* qui non solum colligere, verum etiam chylum aliquo modo præparare statuit, priusquam hepar ingrediatur, quemadmodum secundinas Hippocrates, sanguinem pro infante alterare credit.

Verum utriusq; opinio à vero aliena, nulla enim vasorum lacteorum in ipsum pancreas cernitur insertio, nulla itaque chyli istuc transmissio, multo minus præparatio seu depuratio.

Nullas autem venas lacteas ad hoc viscus tendere, præter experientiam adhuc multorum habemus testimonia.

Sic Blasius in Vesling. p.55. chylum suscipere, fictitium esse & à vero alienum, ipsiq; autopsiæ contrarium, vasa lactea ad pancreas abire, asserit.

Regnerus de Graef. l.c. huic sententiæ (sc. *Varolii & Highmori*) inquit, contradicit experientia, quâ constat, nulla vasa lactea tendere ad hoc viscus glandulosum quod forsan habuerunt nominati authores Asellium fecuti, pro glandula mesenterii media, in quam venæ lacteæ intrant.

Alii inter quos *Backius & Folius*, ex intestinis chylum ductum hujus visceris ingredi, acriter defendunt, hinc ad hepar & lienem deferri. Falluntur & hi dicimus cum *Bartholino*, quia non pertingit hic ductus ad hepar aut lienem. 2. impedimentum idem tunicæ rugosæ obstat. 3. commune habet cum poro cholidocho ostium, ut egerendo utrumque serviat.

Ad egerendum itaque conditum esse pancreas persuasi sumus, nec tamen ad excrementitium quen-

quendam humorem fecernendum, illumque ad intestina tenuia expurgandum, credimus, non enim fecernitur pituita, quemadmodum *Velthufius* tradit; nec chyli purgamentum, sicuti *Veslingius*; Nec serum, secundum *Pecquetum*; Nec atra bilis ad mentem *Lindani*; Nec melancholiæ sentina, uti *Highmorus* quidem somniat; Nec denique bilis, uti *Bartholino* placet, & licet bile plenus repletus fuerit, in biliosa diarrhæa ut testatur *Van Florne*, istud tamen nihil probare dicimus, cum in tali statu *p. n.* tota massa sanguinea bile scateat. Nihil itaque ab intestino per hunc ductum *Wirsungianum* in pancreas, nullum excrementum in pancreate secretum aut genitum per eundem ad intestina, sed humorem laudabilem, maximè in statu naturali se habentem utilem ex sanguine & spiritibus animalibus in ipso præparatum & quidem subacidum per ipsum deferri, cum *Excell. Sylvio* autumamus. Purum putum excrementitium non esse etiam ante multos annos *Mæbio* visum fuit, si enim purum putum, inquit *fund. physiol. p. 214.* excrementum ac nullius usus esset, natura canalem ad inferiora, in quibus inutilia scybala hospitantur, non ad superiora, ubi chylus in ventriculo inchoatus expoliri debet, derivasset.

Succus autem hic laudabilis, quomodo singulari

lari vitro excipi possit, *ingeniosissimus Graef* per aliquot experimenta facta perspicue *Exercit. de succo pancreatico* docet, cujus experimenti septimi omnibus modis expectationi satisfaciens, accuratam descriptionem in curiosorum gratiam adponere libet.

Sumendum longi colli vitrum *Germ. einblätgen* quale ad tincturam aliquam praescriptam sumi videmus ad illam excipiendam, in cujus ventris parte superiore foramen exile perterebrandum, quo aer in eo conclusus cedat succo pancreatico allabenti, hujus vitri collum coronetur nodoso funiculo, vel alia re quavis, cujus beneficio commodius intestino consui queat, praeterea calamus tenuis & longus anatum sylvestrium, circa partem sui ampliorem charta cocto amylo prius inducta eoque obvolvatur, ut vitri orificio intrusus illud oppleat, ne ad calami latera vel bilis vel sanguis penetrans succum quaesitum inquinet, calamus ille vitro affigitur obductus pancreatici vitri collum non admittentis angustiam; mox epistomium ligneum ad eam conficiatur crassitiem, ut angustius calami orificium impleat, cui alligatum sit filum, & styli postea beneficio in calami partem ampliorem versus angustiore eoque protrudatur, ut aliquantulum per orificium calami angustius promineat, ibique tam

firmi-

firmiter hæreat, ut ad calami in ductum pancreati-
cum intrusionem spontè non retrocedat, atque
tunc nec pituità nec crustà intestini panneâ obtu-
retur, ipseque ductus calami acumine lædatur, sed
nec tam firmiter impellendum est dictum episto-
mium, quin fili beneficio retrahi queat. Figuras
invenies in *Bartholiniana Anat. nov. ut & in Ves-
lingii appendice cum comm. Blasii.*

Quo facto capiendus canis, cui per horas 15. aut
20. nullum est datum alimentum, præferendus au-
tem Molossus junior, quippe qui præ aliis canibus
omnibus viscera habet magna, multumque pan-
creatici succi & vitam trahit diutiùs, minusq; pa-
rit in secando molestiæ. Jejunus canis sumendus,
ne ob turgentia, ab alimentis cum ventriculo inte-
stina, impediatur clausura abdominis post affixum
vitrum. Tali itaque cani post obturatum vinculis
os, ne mordendo noceat & extensa ligataque su-
pra mensam crura, sub larynge, per apertam cu-
tim & remotos musculos longos collum flectentes,
transmisso sub arteria pneumatica stylo, duarum
ipsius cartilaginum pars anterior excutanda, quo
per patens hoc orificium perficiatur respiratio, sub-
latâ omni voce. Hoc facto, abdomen aperiatur,
mox extractum per vulnus intestinum duodenum
proximè sub pyloro ligetur, ut & infra ductus

C

pan-

pancreatici exitum, ne quid opus hoc nostrum turbet vel impediat. Deinde inter utramque ligaturam in longum findatur intestinum in parte sui externa & à mesenterio libera, mox mundatis spongiâ pituitâ, bile aliisque ibi repertis, observetur ductus pancreaticus, qui duobus ferè transversis digitis sub ductus bilarii exitu, & eodem pene spatio, supra connexionem intestini cum pancreatis parte descendente occurrit in canibus, in quem blandè immittenda extremitas calami epistomio clausi, una cum affixo vitro, quod mediante funiculo nodoso, per filum duplicatum acui inditum intestino est assuendum, ut calamus in ductu pancreatico permaneat, nec ab intestino vitrum secedat, atque tunc demum abdomen ita filo duplicato consuatur, ut extra ejus cavitatem vitrum propendeat, cui tandem pars vesicæ exsiccatae, circa vitri collum per funiculum ita vincienda, ut vitrum unde quaque tegat, ne sanguis vel bilis affluens per vitri foramen intrare possit: Quibus ita perfectis epistomium ex calamo propendens è vitri foramine per filum retrahatur; Et hoc instrumentum semper sufficiet, quando unus tantum est in intestinum ductus pancreatici exitus, si verò plures, quod interdum accidit, aliud adhuc instrumentum requiritur, habens duas tabellas ex ebore factas,

Etas, in quarum extremitatibus sunt foramina, illæ tabellæ inter ventriculum & affixum vitrum intestini lateribus mesenterio connexis utrinque ita applicentur, ut intermedium intestinum manu arctè comprimi queat, donec stylus acutus, hinc & cylindri, per dicta foramina transmittantur & per cochleas intestinum ita coarctetur, ut nihil ex dictis pancreatis ductibus, si qui sint, effluere possit, applicato & hoc instrumento, abdomen ut supra dictum quoque filo duplicato consuendum. Hinc argumenta de qualitatibus ac quantitate hujus succi singulis horis ad intestinum tenue fluentis, peti possunt.

C A P. V.

Succi pancreatici usum subnectens.

Succus pancreaticus subacidus tot quasi ex fontibus rivulisque confluens, quot globulis ferme & surculis stipatur viscus hoc, placido cursu ac eleganti tramite continuo in alveum suum intestinum sc. elabitur, officio suo à natura destinato ibi fungens, dum alimentis in ventriculo fermentatis admiscetur.

Vsum succo huic primarium in eo ponimus, quod multum faciat ad secretionem chyli per effervescentiam quandam in dicto intestino duodeno

& jejuno, ab alvinis fæcibus, ac ejusdem per vasa lactea vectionem

Effervescencia autem talis excitatur ex succi pancreatici aciditate & bilis fale volatili abundantis concursu, quicquid enim acido suffultum Spiritu, quicquid falsedine debita dotatum, clandestino coeunt bello omnia, ac secretionem heterogenii ab homogeneo procurant, sicque hac subagitatione *διάκρισις* & *σύνθεσις* contingit; hinc lacteus quoque chyli candor, subitque subtilior pars venas, fæculentior omnis abscedit, dum crassior qui exit pyloro chylus, fluidior hoc exercitio evadit, quod exinde satis clarum, quando aperimus canem vivum, animadvertimus, absoluta in ventriculo fermentatione, semper ea quæ in ventriculo sunt consistentiam crassiores viscidiores, minusque albicantes, ea autem quæ in intestino, consistentiam fluidiores minusque viscidas sed magis albicantes habere; Succus enim hic spiritu acido turgidus, alimentorum in intestino visciditatem solvendo ipsorum fluiditatem auget, magisque albicantia chymo similia reddit. Quemadmodum quemvis spiritum acidum cuiusvis substantiæ Oleo lixivioso & oleo abundanti affusum albescentem; sic sulphur vulgare in quovis lixivio Oleo solutum, rubescit, quamprimum autem affunditur acidi quid, albescit.

fcit. Effervescencia hæc ac pugna minus effera, insultus minus sanis est furiosus, stillat blandè enim humor, hinc fit, cum obviis humoribus, accedente humore bilioso mitis quoque ac blanda effervescencia, ut à sanis non percipiatur, quia nullus tunc est sensus, qualis non raro in ægris observatur, vel distensionibus vel lancinationibus & torminibus vel frigore vel calore molestus.

Bilis cum acido effervescenciam, eamque blandam, observavit aliquando *Graefius*, in bile sc. canina phylæ conclusa, ex affusa tertia circiter parte spiritus nitri, idque postquam in solis radiis tantisper vitrum fervasset.

Quemadmodum autem viscus hoc nobile officio suo à natura est dicatum, sic eo si defraudetur, omnis generis sordes in hanc vel illam partem deducuntur, variaque inde emergunt symptomata, quod multi, quibus ignotus adhuc hic hospes fuit, tamen agnovere, multorum morborum causas in eo quæsiere, sicuti eorum testantur scripta; Omnium tamen morborum causas hic secundum nonnullos latitare, vix credimus. Denique quomodo peccet, iterumque reduci succus degener possit ac debeat, fusè tradit *Sylvius* & *Graefius*, qui consulendi. Plura ob brevitatis studium addere non licet, hinc claudimus rivos, & paucula

de pancreatico isto rivo rudi minervâ tetigisse contenti sumus. Quæ, si palato tuo B. L. usque ad eò non sapuerint, cogites materiæ gravitatem, totque authorum discrepantes sententias, ut bonus etiam Homerus hic dormitet. Verum ab his digrediens, tuam ô *Summe ac Misericors Deus*, perfectissimam bonitatem, sapientiam atque potentiam insuperabilem, supremis laudibus efferam, tibi que confitebor, quia sapientiæ tuæ in mei corporis fabrica magnitudinem declarasti, quia ex rudi & informi materiæ mole tantum opificium, operum sc. tuorum hocce complementum extruxisti, quia me in abdito, velut in imis partibus terræ, tam artificiosè conformasti, qui demum massam hanc primitus inanem & indispositam tam affabrè effinxisti, dum partium mearum delineationi præfuiisti, oculorum meorum mirabilia creando, aurem mihi implantando, & quod rei totius caput est, Spiritum vitæ meas in nares insufflando. Tibi tot mirabilium Fautori cum

Filio & Spiritu S. sit laus & gloria in sempiterna
secula.



SUPERPONDIA.

I.

V Asa lactea mesaraica in intestinorum cavitate instar hirudinum hiant.

II.

Vena rubra Mesaraica non item.

III.

Dato phlegmagogo evacuatur humor pancreaticus.

IV.

Nec tamen dantur electivè propriè dicta purgantia.

V.

Nec attrahunt purgantia humores ob similitudinem substantia.

VI.

Nec evacuatur quid in purgationis actu per venas mesaraicas rubras, nec per arterias quid, uti multi speculationibus solis contenti existimant.

VII.

Nec dantur cephalica alterantia & roborantia propriè dicta.

Nec

*Nec ophthalmica nec otica nec thoracica nec
stomachica nec hepatica nec splenetica &c.*

IX.

Anodynis genuinis quoque caremus.

X.

*Bilis quæ in vesicula fellis continetur in hepate
non ex chylo nascitur.*

XI.

Quamvis fœtus in utero chylo nutriatur.

XII.

Dulcia non abeunt in bilem ut vulgus credit.

XIII.

Non datur liquor Alkahest.

XIV.

Sanguis & Spiritus sunt partes propriè dictæ.

XV.

Enemata nutrire possunt.

XVI.

Aurum oculos pascit non cor.

XVII.

*Experientia prout ab Authoribus describitur
non datur in Praxi.*

FINIS.